



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Bellum quando dicatur iustum vel iniustum licitum vel illicitum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

*Diuinitio superstitiosa est: & Christianae religioni aduersa.*

**A** Ruspicium, Augurium, Auspicium, tria hæc, pro diuinationibus iuperstitionis sumpta Christianæ religioni aduersantur, utpote ad sacrilegas artes diuinatorias, quibus idololatræ utebatur, spectantia: & propterea constat esse non solum cōtra charitatem, sed quodammodo contra fidem. Differentia tamen inter hæc est, quod Aruspicium iniquitatem suam sonat, pro quāto à sacrificio seu ara non recedit. Augurium autē & Auspicium si sine damnatis artibus fiant, capiēdo cōiecturam futuri euentus ab audito gurritu, aut inspecto motu auium &c. quandoq; tolerari possunt, vel ut nō mala, si debitæ adsint circumstantiæ: puta quod ex his non sumatur nisi suspicio seu coniectura, & de his tāiūm ad quæ cœlestia corpora possunt se extendere: & quod sicut in cæteris suspicionibus prudenter se habet homo, ita & in istis, Vel ut venialia: si aliqua circumstantia desit: puta quia nimis credit aut timet propter huiusmodi signa. Qui autem his signis adeo deditus est, ut pro lege operum suorum habeat huiusmodi signa, sine causa Christianus est.

*Bellum quando dicatur iustum vel iniustum licitum vel illicitum.*

**B**ellum iniustum, ex propria ratione constat esse peccatum mortale. Circa quod primò videndæ sunt conditiones ex quibus bellum est iniustum. Et quia ad iustum bellum tria exiguntur (scilicet primò iusta causa bellandi: secundò autoritas indicendi bellum: tertio recta intentio) ideo bellum tripliciter cōtingit inueniri iniustū: vel ex defectu iustitiæ in causa, vel ex defectu autoritatis in capite, vel ex defectu rēstitutio-



stitutionis in intentione; quicumque siquidem horum defectuum acciderit, bellum redditur iniustum. Et quidem de iusta causa August. dicit xxiii. questio. ii. Dominus noster. Iusta bella solent definiri, quibus viciscuntur iniurias: si gens vel civitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit quod à suis improbe factum est, vel reddere quod per iniuriam ablatum est. De autoritate verò principum. xxvi. questio. i. quid culpatur. idem dicit: Ordo naturalis mortalium præi accommodatus hoc possit, et suscipiendi belli autoritas atque consilium penes principes sit. De rectitudine autem intentionis idem dicit ibidem: Noscendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacabilis animus, feritas bellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia. Hæc sunt quæ in bellis iure culpantur.

Tu autem confessor, qui iustam causam belli certa ratione invenire nequis, fide dignis credere potes. Principis autem nomine in proposito intellige rem publicam perfectam: hoc est papam, Imperatorem, Regem, dominum liberum, hoc est quod superiorem non habet, sed est velut princeps. Intentionem quoque malam, vitiosam reddere bellum secundum alias condiciones iustum intellige sicut latronis quoque iusta punitio vitiosa redditur, si ex odio iustitia exercetur, peccatur enim ex prava intentione in opere iusto. Et ideo sola poenitentia aboletur, nec est opus restitutione: quoniam læsus latro vel debellatus, est iuste læsus, in nulloque, iniuste damnificatus, quamvis ex parte animi iustitiam exercentis malitia affuerit, in suæ animæ damnationem nolens iustum iuste efficere.

Causa verò iusta aut autoritas si defuerit in bello, non bellum, sed invasio de facto, cædes, rapinamque est. Secundò de militantibus in bello dubio considerandum est, dicendo quòd bello iusto opem ferre,  
nulum



nullum peccatum esse constat, si certum est esse iustum. Si verò certum non est, subditi principis indigentis bellum excusantur, obediens domino suo dicente Augustino. xxiii. quæstio. i. quid culpatur. Vir iustus si fortè etiam sub Rege & homine sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est: ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi. Excusatur ergo subditus in bello, de quo nescit an sit iustum, ratione obedientiæ: sicut etiam excusatur minister iudicis occidens damnatum per sententiam, si non continet errorem manifestum. Et vniuersalis ratio quare obedientia in dubiis excusat est: quia non est subditorum discurrere consilia definitionesque dominorum suorum, sed præsumenda sunt iusta, nisi manifestam contineant iniquitatem. Non subditi autem non excusantur. Nec excludo à subditis milites illos mercenarios, qui sub continuis stipendiis Regis alicuius degunt, tam pacis, quàm belli tempore. hi siquidem tanquam subditi habendi sunt. Sicut ministri conducti ad executionem iustitiæ, non oportet esse subditos, sic quod sint inde oriundi: sed sat est, quòd inueniantur conducti ad officium iustitiæ, ad hoc vt excusentur, si contingat ignoranter exequi iniustam sententiam.

Fac ergo confessor differentiam inter extraneos, qui tempore dubii belli inueniuntur prius stipendiati ad bellica exercitia talis Regis absolutè, & illos qui tunc conducuntur. Nam primi reputantur tanquam conducti ad iusti belli ministerium: & ordo seruiendi quo subesse Regi noscuntur, facit vt non sit eorum discurrere aduersim iustitiam belli. Secundi autem similes sunt illis, qui sub dubio iudice conduci vellent: quos constat non tute exponere se  
periculo



periculo iustitiæ exercendæ. Qui autem siue subditi  
 siue non subditi, audito belli nomine, non curantes  
 de belli iustitia, ad pecuniæ sonitum currunt: extra  
 conscientiæ scrupulos sunt: manifestè enim sunt in  
 statu damnationis æternæ donec resipiscant, sicut  
 qui currunt ad clades & prædas, non solliciti de iusto  
 vel iniusto. Tertio de reuocatione belli est soluenda  
 quæstio illa: an post inchoatum bellum hoste iniquo  
 offerente satisfacere, teneatur habens iustum bellum  
 desistere à bello. Dicimus siquidem distinguendo tres  
 status belli (scilicet principium, medium, & quasi fi-  
 nem) quòd in principio belli, hoc est, postquam bel-  
 lum est indictum, congregatum, &c. ante tamen con-  
 flictum, ex quo vindictæ negotium adhuc est inte-  
 grum, tenetur princeps admittere satisfactionem, &  
 reuocare bellum. Et ratio est, quia bellare non est  
 voluntatis, sed necessitatis, vt Augu. dicit xxiii. qui  
 noli. In proposito autem cessat necessitas belli, ex eo  
 quòd offertur satisfactio, re adhuc existente inte-  
 gra. Sed esto sanus lector, & intellige hæc de satisfa-  
 ctione plena: hoc est non solum, iniuriæ, seu rerum,  
 sed sumptuum & damnorum, &c. Postquam autem  
 semipeliatum est, & motus hominum hinc inde in-  
 tercesserunt, non tenetur habens iustum bellum re-  
 uocare bellum, propterea quia hostis nunc offert sa-  
 tisfacere. Et ratio est, quia habens iustum bellum,  
 gerit personam iudicis criminaliter procedentis. Et  
 quòd gerat personam iudicis, patet ex eo quòd præ-  
 lium iustum est actus vindictiue iustitiæ: quæ pro-  
 priè est virtus principis seu iudicis: non enim est pri-  
 uatæ personæ opus vindicare: scriptum est enim, Mi-  
 hi vindictam. Quòd verò criminaliter procedentis  
 patet ex eo quòd procedit ad eadem, ad seruitutem  
 que personarum, & danni rerum: hæc enim omnia  
 iustum bellum infert, quamuis hodie à seruitute inter



Christianos abstinere. Manifestatur quoque idem, quod habens iustum bellum, non est pars, sed ex ipsa ratione necessitante ad bellum efficitur iudex hostium suorum, ex eo quod eadem ratione potest princeps in perturbatores suae reipublicae intraneos & extraneos, uti gladio propria autoritate: scilicet ex ratione perfectae reipublicae. Non enim est perfecta respublica, cui deest potestas vindicativa à iustitia mediante, siue contra perturbatores reipublicae intrinsecos, siue contra perturbatores extrinsecos. Ex nisi sic sit, quum pars in parem non habeat imperium, bella omnia iniusta essent nisi defensiva. Quia igitur habens iustum bellum, gerit personam iudicis procedentis secundum vindicativam iustitiam aduersus extraneos perturbatores reipub. & in medio belli iam effectus est dominus causae: non existente amplius integro negotio vindictae potest (nisi misericordia uti velit) proseguere bellum, & vindicativam exercere iustitiam gladio bellico. Sibi autem hostis imputet, quod reduxit se ad eum statum, in quo iustitia vindicativa potest ab alienis contra se exerceri. fuit enim in potestate sua offerre prius satisfactionem. Et si contra hoc iustetur, quod continuatio belli in hoc casu non esset necessitatis, sed voluntatis, quoniam interrupta est necessitas bellandi ex noua oblatione satisfactionis: responderetur quod huiusmodi noua oblatio satisfactionis non habet vim interruptendi necessitatem belli iam semiactis quia non amplius spectat ad habentes iniustum bellum satisfacere: sed spectat ad eos satisfacere secundum iudicium habentis iustum contra eos bellum. Ex eo namque quod ipsimet habentes iniusti belli causam, noluerunt quum possent & deberent satisfacere, sed bellum committere, translati sunt à iure rationis rectae de ordine satisfaciendi in ordinem satisfaciendi à iusto bello, & propterea ex rectae rationis dictamine,



non ex parte reorum, sed ex parte iustitiam vindicantem exercentium pendet, an vindicta continuanda sit gladio bellico, subiiciendo sibi hostes, & terram eorum (quod est facere hostes satisfati) an via restitutionis seu satisfactionis. Eadem ergo necessitate qua ceptum est bellum, continuari potest, si principibus videtur expedire: quia necessitas illa non est interrupta respectu cepti belli contra nolentes satisfacere in statu satisfactorio. Licet enim mutata sit voluntas reorum: & velint postea satisfacere, quia tamen non sunt amplius in statu satisfactorio, sed volūtariè subiecerunt se statui satisfactorio (vt sic loqui liceat) ideo perseverat prima necessitas & autoritas de bellandis sicut apud dominum perseverat post habitum seruum pro debita pecunia autoritas retinendi seruum, quantumcumque ille veller solvere quod debebat. Et hinc patet, quod multo magis ex arbitrio principis iustè bellantis pendet continuatio belli, quum bellum est quasi in fine, licet offerant hostes satisfacere.

Quarto, de damnis ex bello illatis scito quatuor. Primo quod damna omnia ex iusto bello illata, non solum repugnantibus, sed cuilibet membro reipublicæ contra quam est iustum bellum, absque peccato sunt: nec ad restitutionem tenentur qui intulerunt, etiam si innocentes contingat per accidens damnificari, verbi gratia: si ciuitas aliqua ex iusto bello in prædam daretur, liceret cuiusque ciuis bona diripere, licet aliquis eorum fortè esset innocens: quia sententia iustitiæ bellicæ non tenetur discutere, an aliqua pars reipublicæ sibi iniustè hostis, sit innocens: quia præsumitur tota hostis, & totum habet pro hoste: & propterea totam damnat ac diripit. Et per se loquendo ille iustè accipit, quamuis aliquis innocens per accidens iniustè patiat, quæ enim sunt per accidens, extra regulas sunt; secus autem esset, si ex intentione



ageretur contra innocentem. Notanter autem nominavi membra illius reipublicæ, quoniam personæ Ecclesiasticæ, quæ non sunt partes populi, non iustè diriperentur. Vbi secundum prætereundum non est, quasdam personas esse à iure canonico exemptas à damnis bellicis. quas habes extrà de pace & treuga. cap. Innouamus. vbi dicitur: Innouamus vt presbyteri, monachi, conuersi, peregrini, mercatores, rustici euntes vel redeuntes, & animalia quibus arant & semina portant ad agrum, securitate congrua letentur. Et xxiiii. q. iii. cap. Paternarum. explicatur etiam oratores. Quos canones rationabiles ac sanctos quàm ad id quod positui iuris continent, an abusus deleuerit, nescio. Verùm per mercatores intelligo non negotiatores qui ibi resident, sed illos qui hospitantur aut transeunt: quoniam mercatores incolas non video melioris esse conditionis, quàm artifices. Tertium est, quòd bello existente iniusto tenentur omnes de damnis illatis: nisi ex ignorantia legitima excusentur, quæ tamen non excusat à restitutione ablatarum rerum apud se manentium, postquam compertum est fuisse bellum iniustum. Quartum est, quòd siue iustum siue iniustum sit bellum, debent seruare bellatores regulam Ioannis Baptistæ illis datam: scilicet. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & estote contenti stipendijs vestris. Peccant siquidem mortaliter, opprimendo rusticos, & hospites ad discretionem, imò ad destructionem, & alia huiusmodi latrocinia committendo. Nec excusantur, quia non datur eis stipendium: quoniam ex hoc rusticorum & ciuium res non obligantur illis. Nec dissimulatio aut autoritas capitanei aut principis excusat: nisi in pœnam rusticis aut ciuibus iustè infl. etiam hoc fieret: quoniam princeps debet ex prouentibus quos corus status proportionaliter tribuit, militibus stipendia



dia sufficienter tribuere. & non debent isti particula-  
res vexari. Lex enim iniusta est ex forma, quæ non  
secundum proportionem grauat populum. Si tamen  
probata consuetudo obtinuit, vt ligna & paleas mi-  
litibus hospites gratis tribuant, non damno: quasi eo-  
nim sorte quadam contingit ob hoc quasdam terras  
seu villas præ aliis grauari.

*Diebus festis bellum exercere an sit  
peccatum.*

**B**ellum exercere in diebus festis absque necessitate  
peccatum est, propter inquietudinem diuertenti-  
am à sanctificatione festorum. Non tamen est mor-  
tale peccatum, si diuina non omittantur, puta missas:  
quia non est opus seruile. Et simile est iudicium de  
aliis diebus, quibus prohibitum est à sacris canonibus  
præliari: scilicet in aduentu & quadragesima &c. vt in  
capitu, Treugas extra de treuga & pace. si tamen iura  
hæc subsisterent: nam abrogata per non vsum dicuntur.

*Ecclesiastica beneficia appetere &  
procurare quando licitum  
sit vel non.*

**B**eneficium ecclesiasticum considerandum est pri-  
mò quò ad ingressum, tam de appetitu, quam de  
procuracione. Apertè siquidem Ecclesiasticum bene-  
ficium, siue curatum, siue absque cura, nullum ex suo  
genere peccatum est: quoniam huiusmodi obiectum  
est intra ordinem appetibilem recta ratione: & pro-  
pterea Apostolus absolutè dixit: Qui Episcopatum  
desiderat, bonum opus desiderat. Peccatum autè con-  
tingit ex defectu alicuius circumstantiæ requisitæ: pu-  
ta quis, cur, quomodo &c. Et quoniam frequentissi-  
mè secundum primam circumstantiam in huiusmo-  
di appetitu peccatur: ideo Apostolus statim subdit de